

*dilectum quidem confitetur, ut eo ipso extinguat iracundiam Domini, inquit Chrysostomus; Sed dum vetera revocat in memoriam, statim ostendit mutationem, ait Theodoretus. Ad nomen Ονησιου, quod utilem significat, alludi, plerorumque interpretum neotericorum observatio est. Quam Guilielmus Estius, eo argumento, quod Apostolus utilem & inutilem nominando vocabulis utatur ab Onesimo plane diversis, frustra sub censuram vocat.*

§. XII. vers. 12. *Tu vero ipsum, id est ipsa viscera, ipsum cor meum & tanquam me ipsum, (tanto enim amore ipsum prosequor) cum omni charitate suscipe.*

Particula: *δέ*, quæ adversativa est, videtur occurrere tacitæ objectioni, hoc modo: remissum forte ob fugam furtumque durius habere posses: *sed* rogo Te, id ne facias, sed è contrario suscipias amanter. Vocem *προσλαβῆ* amplius quid sonare, quam *recipere*, jam olim Chrysostomus annotavit: Non ait, *recipe*, non dixit: ne irascaris, sed; *suscipe*, hoc est, non modo veniam, sed honorem quoque promeretur, est enim Pauli filius effectus. Oecumenius vocem illam interpretatur: *μετὰ ἀγάπης δέξαι*, amplecti cum charitate. Vim vocis: *σπλαγχνῶς*, viscera, multis modis interpretes exponunt. Ambrosianus: *ut suum animum*. Hieronymus: *viscera significant internum cordis affectum & plenam ex animo voluntatem*, Pelagius: *ut filium charissimum*. Theodoretus: *ut filium natum ex meis visceribus*. Oecumenius & Theophylactus: *dilectum ut mea viscera*. Ægidius Hunnius: *haud aliter ac me & proprium cor meum*. Estius: *qui unus mecum factus est & alter ego*. Grotius: *ut corculum meum*. Sed nempe diversis *περιφρασίσι* res tantum una circumscribitur.

§. XIII. vers. 13. *Adeo autem utilem eundem mihi apprehendi, ut voluissim, tanquam ministrum mihi perquam commodum libentissime apud me retinere, ut tui vice mihi ministerium prestaret in vinculis, Evangelii causa à me toleratis.*

Conne-